

parvitate omnis creaturæ, quæ delectationem causare potest. Ex magnitudine quidem divinæ majestatis, quatenus specialiter est destructiva omnis celsitudinis, et pulchritudinis creatæ, unde delectatio nociva causari potest juxta illud Isai. II: *Dies Domini super omnem excelsum, et superbum, et super omnes cedros Libani sublimes, et erectas, et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est*: et Thren. II: *Firmavit dexteram suam quasi hostia, et occidit omne quod pulchrum erat visu*. Omnem ergo externam pulchritudinem, ad quam pertinet concupiscentia oculorum, divina terribilitas dissolvit. Ex parvitate autem creaturæ consideratur tamquam insipidum omne quod perit, et transit, quia ut dicitur Sapient. III: *Et tamquam lanugo, quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tamquam fumus qui a vente diffusus est*. Ex quo fit quod talis consideratio creaturarum in ordine ad magnitudinem divinam, potius provocat ad luctum, quam ad lætitiã: præsertim eum in fine tantam relinquat amaritudinem, juxta illud Job XX: *Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua; panis ejus in utero illius vertetur ut fel aspidum intrinsecus, caput aspidum fuget, et occidet eum lingua viperæ, quæ amaritudo maxime cognoscitur in ipso puncto separationis animæ, juxta quod ibidem subditur: Eductus, et egrediens de vagina sua (id est, anima a corpore) et fulgurans in amaritudine sua vadent, et venient super eum horribiles: omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus, devoravit eum ignis qui non succenditur*. Hæc ergo est ratio quare iste actus, qui ita respicit delectabilia sensus vocatur beatitudo luctus, quia considerat creaturas ut avertentes a Deo, et causantes ama-

ritudinem, quæ est digna luctu, ideoque talis actus correspondet duplici dono, scilicet dono scientiæ tamquam dirigenti, ut dicit D. Thomas supra quæst. IX, art. IV, et dono timoris tamquam exequenti, ut dicit hic articulo XII ad secundum.

XVII. Quod vero sint actus secundarii paupertas spiritus, et beatitudo luctus in dono timoris docet D. Thomas loco citato, quia ex hoc quod aliquis perfecte timet Deum, consequens est quod non quærat magnificari in se ipso; est ergo iste actus consequens alium priorem actum, quo reveremur ipsam divinam majestatem; inde enim accipitur motum ad reprimendum passiones illas magnificationis, et jactantiæ, et impletur illud Psal. XCVI: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini*, eo quod prius timetur eminentia majestatis, deinde altitudo creata dissolvitur. Sed tamen inter hos actus secundarios directius pertinet ad timorem paupertas spiritus, quam beatitudo luctus, eo quod (ut inquit D. Thomas) delectatio non ita habet rationem ardui, sicut magnificatio: ad timorem autem directius pertinet destruere arduum, et humiliare illud, et parvificare, eo quod procedit a comparatione divinæ majestatis, respectu cujus omnia sunt parva. Quod vero sint actus voluntatis patet; tum, quia dona Spiritus sancti non sunt in appetitu sensitivo, sed in rationali, quia immediate rationalis mens movetur a Spiritu sancto, licet mediate moveat inferiorem appetitum; tum, quia excellentia, et magnificatio propria magis radicatur in parte rationali, quæ est superioris naturæ, et ideo difficilior vincitur, et obscurius perpenditur, cum existiment se magnos in spiritualibus, et secundum voluntatem propriam exinanitum, et depauperatum, sed tumidum habeant, et

ideo magis resistantem divinæ motioni in occulto.

XVIII. Ex dictis denique colligitur, quomodo timor maneat in beatis fuerit in Christo; nam quoad illos duos actus, scilicet revereri, et fugere malum imminens, hic secundus non potest in illis reperiri efficaciter, quia nullum malum eis imminet ratione status, et in Christo etiam ratione personæ quoad malum culpæ; ineffaciter tamen, et quasi sub conditione si essent in statu capaci, non repugnat haberi hunc actum. Primum autem actum, scilicet revereri Deum perfectissime habent, quatenus considerant divinam potestatem ut inflictivam mali, quod absolute possibile est, nam etiam Christo ex parte naturæ assumptæ possibilis est annihilatio, sicut possibilis fuit mors quam de facto timuit, et ad illum timorem reverentialem non magis confert possibilitas, et imminetia mali, sed appetitatio potestatis inflictivæ illius, et hæc appetitatio crescit in Christo et in beatis licet possibilitas mali decescat, ut optime vidit Cajetanus hic quæst. XIX, art. X, ostendens quomodo timor filialis crescat crescente charitate, quia crescit appetitatio Dei, licet malum reddatur minus possibile quanto magis est in charitate.

DISPUTATIO VII.

DE DESPERATIONE.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum facta alicui revelatione absoluta de sua condemnatione possit, et teneatur sperare?

I. In admittendo casum hærent aliqui existimantes non posse alicui revelari suam damnationem absolute. Et pro hac parte citari solet D. Bonaventura in I, dist. XLVIII, dubio circa litteram Antisiodorensis, Alensis, etc. et alii quos citat pater Suarez disp. II de spe, sect. II, n. VI. Ratio est, quia Deus non potest cogere ad desperationem; tunc autem posito illo casu cogeretur homo desperare, quia æque impossibilis repræsentatur sibi beatitudo, facta illa revelatione, quam executa damnatione; executa autem damnatione cogitur homo desperare. Item, quia sequuntur expositione hujus casus manifestæ implicationes. Nam teneretur homo conformari voluntati divinæ, quia absolute est sibi cognita; et ex alia parte non teneretur conformari, quia si conformaretur vellet suam damnationem, quod nullo modo licet. Similiter teneretur adhuc sperare, quia teneretur bene operari, et non peccare, atque adeo sperare debet auxilium divinum; sine quo bene operari non potest: et ex alia parte non teneretur sperare, quia est redditum sibi impossibile primum objectum spei, quod est assecutio beatitudinis; communiter manet destructa spes theologica. Et præsertim urget ille casus: Si Deus re-

velaret alicui esse condemnandum propter peccatum desperationis, tunc enim non teneretur sperare beatitudinem, quia cognoscit sibi non esse futuram, atque adeo amittit rationem objecti sperabilis, et teneretur sperare beatitudinem, quia si non teneretur non obligaretur sperare, atque adeo non peccaret desperando, et communiter non condemnaretur propter peccatum desperationis; est ergo casus implicatorius.

II. Nihilominus communis sententia admittit casum istum ut possibilem, et expresse id docet D. Thomas quæstione xx de veritate, art. viii ad secundum, non quidem de potentia ordinaria, sed de absoluta, licet propter rationes factas illum casum dixerit esse quasi impossibilem in i, dist. XLVIII, quæst. i, art. iv ad secundum, quia scilicet communiter, et de potentia ordinaria possibilem non est. Ratio autem est, quia nulla est repugnantia, neque impedimentum, quod Deus manifestet alicui sua auctoritate quod ipse cognoscit; cognoscit autem Deus absolutam reprobationem aliquorum; ergo potest eam illis manifestare. Et confirmatur, quia potest Deus manifestare mihi reprobationem alterius absolutam; ergo et propriam. Consequentia patet, quia si potest illam revelare alteri, ergo et toti Ecclesie, et quasi publicam facere; tunc autem revelata maneret mihi, quia publice est revelata Ecclesie, per quam mihi proponitur tamquam omnino certa, et de fide. Antecedens autem certissimum est, nam animæ Christi revelatæ sunt condemnationes omnium reprobatorum, quorum ipse est iudex: ergo potest Deus revelare uni absolutam reprobationem alterius, sicut de facto Ecclesie revelata est reprobatio antichristi.

III. Nec argumenta allata probant

implicationem. Nam ad primum respondetur, quod talis revelatio neminem cogit desperare, aut blasphemare desperatione quæ sit peccatum; manet enim homo liber ad suspendendum suos actus, et ita pro libertate sua prorumpet in actum desperationis cum possit in aliud objectum divertere; alioqui cogeret Deus damnatos blasphemare, quia revelat eis damnationem suam ipsa executione.

IV. Ad secundum respondetur, quod in illo casu non tenetur homo velle damnationem suam absolute, id est, prout damnatio includit non solum punitionem Dei, sed etiam causam punitionis ex parte nostra, scilicet obdurationem in peccato; teneretur tamen conformari ordini divinæ justitiæ in tali damnatione, D. Thomas dicit locis citatis: quomodo autem teneretur sperare, vel posset desperare etiam in illo singulari casu, qui proponitur, deinceps inquirendum est.

V. Admissa ergo suppositione huius casus, tota difficultas ad hoc reducitur, an maneat possibile, et futurum sufficienter objectum spei in illo casu. Neque existimo distinguendum in præsentem esse de obligatione sperandi, et possibilitate, quia si spes manet possibilis, sine dubio obligatio sperandi manebit; nam si obligatio cessat, vel est ex dispensatione legislatoris super hoc præcepto, vel ex abstractione materiæ, quia reddita est impossibilis; neque enim obligatio cessare potest, nisi uno ex his duobus modis; cum ergo facta illa revelatione Deus non dispensat, nec tollat aliquod præceptum, si obligatio non remanet, debet esse ex altero principio scilicet, quia deficit materia præcepti, et ideo naturaliter cessat, non dispensative. Deficit autem materia præcepti solum ex impossibilitate, nam si adhuc manet possibilis actus

sperandi, manet sufficiens materia obligationis et præcepti; obligamur enim simpliciter sperare a Deo beatitudinem; ergo tenemur huic præcepto quamdiu possibilis est ejus impletio; ergo a contrario sensu, si naturaliter cessat obligatio, ideo est quia impossibilis est completio præcepti per actum sperandi.

VI. In hoc puncto licet apud veteres pauca de hac quæstione inveniatur, inter recentiores tamen duæ sunt principales sententiæ extremæ, inter quas non desunt aliqui, qui conciliare volunt utramque, et partem unius sequi, et partem alterius. Prima sententia absolute docet in illo casu, adhuc posse hominem sperare, quia existimat sufficere ad spem, quod objectum quantum est ex se sit possibile, et in virtute aliquarum causarum, vel mediorum, licet ex parte eventus de facto futurus non sit. Hæc sententia tribui solet Victoriæ, et eam dicitur indicare Ariminensis, quos non vidi. Ex recentioribus autem absolute illam sequitur pater Grenados controversia secunda de spe, tract. ii, disput. iv. Secunda vero sententia docet talem actum sperandi esse impossibilem, nec teneri hominem ad sperandum facta illa revelatione. Quæ sententia est communior inter recentiores, et illam docent magister Bagnez 2-2, quæst. art. i, dub. iii; pater Suarez disp. ii de spe, sect. ii, num. vii; pater Torres 2-2, quæst. xxii, art. i, dub. ii, quia existimant enervari, et tolli omnem efficaciam voluntatis circa objectum aliquod assequendum, hoc ipso quod inevitabiliter constat non eventurum. Inter has sententias pater Lorca in præsentem quæstione xxii, art. i, disp. xviii, dicit in illo casu beatitudinem aliquo modo sperari, et aliquo modo non: speratur enim ut possibilis, et futura nostris actibus, et auxilio Dei parato desperatur ut futura ab-

solute propter prævisum eventum; et circa beatitudinem speratur aliquid, scilicet sufficientia auxilii, et desperatur aliquid, scilicet efficacia: neque repugnat hos effectus simul esse; nam quamvis videantur contrarii, revera non sunt: sunt enim de eodem objecto, sed diversa ratione, et sub diversa apprehensione. Eandem quoque sententiam temperant magister Bagnez, et pater Suarez citati dicentes, quod in prædicto casu licet non possit homo sperare beatitudinem, potest tamen sperare divinum auxilium ad servanda præcepta, et vitanda peccata; an vero per spem theologicam tunc sperari possit illud auxilium, an per illud genus spei, prædicti auctores non explicant, quod tamen difficultate non caret.

VII. Pro huius tamen difficultatis explicatione suppone dupliciter posse hanc revelationem absolutam fieri. Primo, ita quod solum Deus revelet condemnationem, nullo tamen modo causam in particulari, seu peccatum propter quod fieri. Secundo, ita quod etiam revelet determinate et in singulari causam condemnationis, et peccatum, propter quod aliquis damnabitur, sive illud sit peccatum desperationis, de quo est peculiaris difficultas, sive quodlibet aliud.

VIII. Dico ergo primo: Facta illa revelatione absoluta primo modo, talis homo nullo modo potest sperare spe theologica beatitudinem, poterit tamen illam desiderare, et concupiscere, et ita poterit sperare ea, quæ sunt necessaria ad evitanda peccata, et implenda præcepta, non tamen per spem theologicam. Hæc conclusio est conformior D. Thomæ loco citato ex quæstione xxiii de veritate, ubi resolvit, quod in illo casu tenebitur homo velle damnationem suam, non absolute, sed quantum ad ordinem, divinæ justiti-

fiæ, huic autem voluntati non comparitur sperare assecutionem beatitudinis a Deo, quæ conjuncta est necessario cum evasione damnationis. Fundamentum hujus conclusionis est, quia spes intrinsece, et essentialiter importat motum efficacem voluntatis erga assecutionem finis et evasionem damnationis, efficax autem voluntas in hoc distinguitur ab inefficaci, quod efficax respicit objectum, non solum secundum se, et quantum ad bonitatem quasi in abstracto, sed secundum absolutam ejus existentiam ut in re ponendam; ergo oportet quod iudicium a quo prudentialiter movetur ista voluntas, non solum apprehendat bonitatem objecti, sed etiam existentiam et assecutionem ejus, ut practicabilem, et ponibilem in re: sed stante illa revelatione absoluta, et iudicio inevitabili de damnatione non potest formari probabile iudicium de evasione talis damnationis ut futura, quia tunc essent duo contradictoria iudicia in intellectu; ergo non potest voluntas elicere actum efficacis tendentiæ in tale objectum, atque adeo neque actum spei theologicæ.

IX. Dices: Licet intellectus non possit formare iudicium de futuratione illius eventus in se ipso, potest tamen formare in sua causa, quatenus ex parte actuum bonorum, quos homo facit, et auxiliorum, quæ sibi dantur a Deo ad implenda præcepta, possibilis est talis eventus, et futurus quantum est ex vi mediorum, et hoc dictamen futurationis sufficit ad efficacem voluntatem. Sed contra instatur dupliciter. Primo, quia ista media non habent vim perducendi de facto ad assecutionem beatitudinis secundum se solum, sed in virtute divinæ voluntatis continuantis illa usque ad finem: ergo sublata ista continuatione ad divinam voluntatem ex vi talium mediorum

non formatur iudicium de futura assecutione etiam prout in tali causa, quia in ordine ad hunc effectum ut in reponendum, illa media omnino iudicantur enervata, et evacuata; ergo neque in se, neque in mediis iudicatur illa assecutio ut futura. Secundo instatur, quia prius quam eligantur media a voluntate præcedit efficax intentio finis, et communiter iudicium de assecutione illius, in qua intentione consistit spes; ergo si ante istam intentionem ex vi illius revelationis iudicatur damnatio ut inevitabilis, quando postea procedit ad media, implicat quod tale iudicium destruat, nisi in ipsis mediis apprehendat aliquam vim, quæ possit illam inevitabilitatem conceptam superare; sed nulum potest offerri medium, quod vincat illud inevitabile decretum Dei quantumcumque sit medium ordinatum ad consecutionem finis; ergo neque in mediis, neque ante media in ipsa apprehensione finis secundum se datur probabile iudicium de futura evasione damnationis, et consecutione beatitudinis.

X. Aliter ergo respondet pater Granados ubi supra. Et videtur ad duo capita reduci ejus doctrina. Primo, quod objectum spei, et cuiuscumque intentionis efficacis solum est bonum possibile, non autem futurum in re, quod probat, quia reprobari possunt intendere, et sperare beatitudinem, licet illa non sit futura in re, sed solum possibilis. Secundo docet, quod licet non possit aliquis habere actum perfecte efficacem contra id quod absolute cognoscit Deum velle, potest tamen habere actum efficacem absolute, et quantum ad substantiam, ita ut ex vi illius conetur homo in oppositum qua ratione in Christo Domino poni solet voluntas efficax circa aliqua objecta, quæ materialiter erant contraria decreto efficaci Dei, sicut

quando voluit latere, et non potuit, cum tamen ipse sciret quod de facto non erat latitaturus. Quo testimonio utitur Agatho papa ad probandum in Christo fuisse duas voluntates. Et similiter si alicui revelaret Deus absolute futuram mortem patris, adhuc posset adhibere omnia remedia ut sanaretur, quod utique esset conari ad vincendam mortem, qui conatus non posset oriri nisi ex aliqua efficaci voluntate: ergo etiam in casu revelationis positæ posset aliquis efficaciter velle beatitudinem quantum ad hoc, quod est conari per bona opera in illam, licet efficacia non esset ita perfecta, quod tenderet in assecutionem absolute ex parte eventus. Quare efficax intentio salvatur in voluntate ordinata ad futurum ex parte conatus, non tamen eventus ut in re futuri, vel apprehensi ut futurum.

XI. Cæterum prima solutio omnino falsa est, et contra ipsam definitionem spei communiter a theologis acceptatam, et traditam a D. Thoma 1-2, quæst. XL, art. 1, quod spes est circa bonum arduum possibile futurum. Et in eo quod affirmat de reprobis manifeste petitur principium, vel non pertinet ad rem; nam si reprobi sciunt se absolute esse reprobos, restat probandum quod possint sperare, et de hoc est præsens difficultas. Si non sciunt se esse reprobos, sperant quidem, sed non quatenus reprobi, sed quatenus viatores, quibus generaliter proposita est assecutio beatitudinis, ut practice possibilis, et futura respectu status, licet in re non sit futura ipsi personæ, de quo tamen non format iudicium, nec dictamen. Et ita quando dicimus, quod objectum spei est possibile futurum, non intelligimus futurum in re, et ex parte eventus, sed secundum practicum, et prudentialia dictamen, ad quod non sufficit rem aliquam esse possi-

bilem quasi physice, et speculative, sed practice, et moraliter; alioquin possem ego sperare mihi incarnationem, et damnatis in inferno beatitudinem, quia speculative de potentia absoluta utrumque est possibile. Sicut ergo ad fugam timoris non sufficit malum absolute possibile, sed ut imminens; et hoc dicitur malum futurum non futuratione eventus in re, sed futuratione practicæ possibilitatis in illa eminentia; sic prosecutio spei tendit in bonum non ut possibile absolute, sed ut practice possibile, et assequibile, et hoc vocatur futurum.

XII. Ex quo etiam impugnatur secunda solutio, quia illa efficacia imperfecta cum aliquo conatu ad assequendum id quod est impossibile, est efficacia desiderii, et voluntatis inefficacis simpliciter, et solum efficacis secundum quid, quæ nullo modo sufficit ad motum spei, et ad efficaciam intentionis. Cujus ratio est, quia efficacia requisita ad spem debet esse talis, quod intendat superare arduum rei consequendæ, et victoriam habere super illam; nam hoc ipso quod non intendit superare arduum, necesse est quod succumbat arduitati, et difficultati, vel non reputet arduum illud bonum, sed præcise ut concupiscibile, si succumbit arduitati: ergo non conatur contra illam motu aggressivo, si quidem illi succumbit, et consequenter non est actus irascibilis, qui tendit aggrediendo, et consequenter non est actus spei, qui est motus virtutis irascibilis. Si vero non reputat arduum illud bonum tollitur essentialis, et intrinseca conditio spei, qua distinguitur a desiderio, et amore (ut disputatione prima late ostendimus) quare valde æquivoce procedit iste auctor non distinguens inter conatum, quem facit vis concupiscibilis intra limites concupiscibilis manens de-